



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

4. An poßit quoq[ue] substituere non approbatum ab Episcopo, suspe[n]sum, interdictum, irregularem?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41077**

præsentiâ parochi omnino inuiti contrari-  
amque intentionem habentis, sufficit ad  
valorem matrimonii, vt in sequentibus o-  
stendemus: ergo illa præsentiâ non est actus  
iurisdictionis, & consequenter ex eo capi-  
te non poterit excludi à celebratione ma-  
trimonii talis excommunicatus.)

Dices. Sacerdos matrimonio assistit tã-  
quam testis, sed (a) testimonium testis ex-  
communicati non tolerati non valet: ergo  
ex illo saltem capite non poterit substitui  
sacerdos excommunicatus non toleratus:

R. Quod quamuis excommunicatus  
regulariter repellatur à testimonio ferendo,  
admitti tamen in casibus, quibus admittun-  
tur infames, qui in matrimonio admittun-  
tur, vt postea suo loco patefiet.

#### Q V Æ S T I O IV.

*An possit quoq; substituere non approba-  
tum ab Episcopo, suspensum, irre-  
gularem?*

Quæstionis explicatio.

**D**ictum est supra, q; hi omnes commu-  
niter non possant immiscere se mini-  
strationi sacramentorum propter prohibi-  
tionem Ecclesie. Huius occasione querit, an  
huiusmodi possint substitui, vt matrimonii  
cele-



SACR. MATRIM. TEMP. PEST. 48  
celebrationi intersint, p̄sertim tēpore pest.

*Responsio.*

**P**rimo sacerdos non approbatus potest à parochō substitui, quia approbationē Ep̄i solum requirit Conc. Trid. p̄ confessionibus audiēdis, propter scientiam, prudentiam & vitæ probitatem, quæ in ministro Penitentiaē requiruntur, cum sit iudex & medicus animæ.

Secundo potest quoque substitui sacerdos suspensus eadem ratione, qua superiori quæstione diximus, substitui posse excommunicatum & nominatim denunciatum: substitutio enim illa, sicut & assistētia non est actus iurisdictionis.

Tertio potest substitui & ille, cui interdixit Ep̄s, ne assistat, ex quacunq; causa id fiat, siue quia est illiteratus, siue criminofus, siue ex aliqua alia speciali causa, vt (a) En-  
a lib. ii. de  
matr. c. 3. n. 6  
riquez notauit, quia quomodocunq; sit interdicitus, tñ manet vel parochus vel ab eo substitutus: Quare etsi poterit peccare extra necessitatem assistendo, tamen vere assistit, & propter eius præsentiam matrimonium erit validum: In necessitate vero, de qua agimus non solum matrimonium erit validum, sed nec assistendo peccabit.

Postremo & irregularis substitui poterit eadem semper ratione.

Hb 2 Di



Dices. Assistere celebrationi matrimonii est actus parochi, ut parochus est: Parochi autem officio non possunt huiusmodi sacerdotes fungi: Ergo.

R. Negando quod assumitur, videlicet assistere celebrationi matrimonii esse actum parochi in quantum est parochus, quasi inibi iurisdictionem aliquam exercens, sed in quantum testis est matrimonii, ut statim diximus.

### QVÆSTIO V.

*An Ordinarius deficientibus Parocho & aliis sacerdotibus, possit substituere parochum necdum ordinatum?*

Quæstionis explicatio.

**P**Ræsupponit quæstio quod verum est, aliquem parochum fieri posse, qui necdum sit sacerdos, ut si necdum sit elapsus annus ab assentione parochialis beneficii, quo tempore non teneri promovendi ad ordinem sacerdotalem de iure (a) certum est: vel si ratione studii dispenset Episcopus, ne intra certum tempus ad sacerdotium promoveatur, quod etiam de iure (b) conceditur. Huius occasione quæritur, an nullo alio

a de elect. c. licet canon.

b locis supra citatis.

cum ex eo, lib. 6.